Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1973
Quelle:
Copyright:

nerando Viro — Ecclesiæ Itzeboensis et vicinarum in Holsatia Præposito &c. Initium: *Literæ tuæ mihi 17. Martij redditæ sunt, ad quas, si citius allatæ fuissent, maturius respondissem* &c. Subscriptum: *Rostochij 23. Martij. Anno 69. L. B.* Narratur hic tota *Rostochiensium* cum supra dicto *Beato* seu *Saligero* Controversia, qui, quod ex vi verborum Consecrationis jam *ante usum* verum Christi corpus in Sacramento existere doceret, tandem 16. *Octobr.* h. a. loco migrare jussus est. Plurima ad cognoscendam hanc Controversiam subpeditat quidem *Job. Mollerus Cimbriae lit.* T. II. p. 46. et 58. Epistolae tamen nostrae notitiam, ut videtur, nullam habuit.

IV. *fol.* 21. *Epistola totius ministerij Rosthochiensis ad Lube.* (cense) *de D. Luca scripta.* Male audire coeperat *Lubecae Backmeisterus, quasi is quoque sit ex eorum numero, qui sub prætextu Augustanæ Confessionis errores alunt et defendunt, et præsertim, quod magna arte tegere sciat virus falsæ doctrinæ Sacramentorum, de præsentia Christi in cæna.* Itaque Συμμυσαι hisce literis eum purgant, quarum initium: *Immensum et inenarrabile dei beneficium est* &c. Datae sunt 15. *Calend. Aug. Anno* 1566. et a *Mollero* non memorantur.

V. *fol.* 23. absque inscriptione Literae Ministerii *Hamburgensis* responsoriae, ad *Rostochienses* datae, e quibus adparet, hos eadem formula *Hamburgi* caussam *Backmeisteri* egisse, qua *Lubecae.* Inter alia graviter: *D. Back. paucissimis inter nos notus est, aliqui semel atque iterum tantum cum illo collocuti sunt, nonnullis, et quidem maiori parti ne nomen quidem illius auditum et notum fuit; qui fieret, ut nos de illo calumnias spargeremus, aut sparsis temere fidem haberemus?* Non tamen dissimulant, aliquibus suorum auditum: *D. Lucam satis fuisse clementem et faventem Adiaphoristis, nec magnopere ferventi zelo ad contradicendum illis exarsisse.* Ineunt Literae: *Accepimus literas vestras, quibus grauissimam querelam ad nos defertis* &c. Datae: *Hamburgi calendas Augusti Anno* 1566. Itaque biennio ante turbas *Job. Beati.* Nihil de illis *Mollerus.*

VI. *fol.* 29. usque ad finem Adversaria de variis Controversiis religiosis temere congesta, maxime de Conatu *Lubecensium, Hamburgensium, Luneburgensium* et *Brunsvicensium* initio anni 1557. transigendi inter *Phil. Melanchthonem* et *M. Flacium*, videlicet Articuli *Philippo* propositi cum ejus Responsis, ut extant in *Epistolis Studiosor. Witteberg.*

DV.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 61. 4. continet tacito Autoris nomine Satiram admodum scurrilem inscriptam *Balneum* 638